

## §. I.



Tupendum sane stantis Solis & Lunæ miracu-  
 lum nuperrime intimius consideravimus, &  
 illud antiquissimo documento ipsis miraculi  
 spectatoribus coævo, inque vulgus tunc ma-  
 xime noto, comprobatum, perspicue fatis co-  
 gnovimus. Postquam enim Scriptor sacer e-  
 narrasset preces, pro Solis & Lunæ statione, a Josua ad DE-  
 um fufas, mox subjicit, Solem & Lunam stetitisse, DEumque pre-  
 ces hominis exaudivisse. Hic additum legimus: *Nonne hoc*  
*scriptum est in Libro Recti*, h. e. ex linguæ latinæ stylo puriori,  
 hoc miraculum notissimum celebratur in *Libro Recti*. Tot  
 Theologorum & Philologorum variæ sententiæ de illo pro-  
 stant libro, quibus perlectis & inquisitis, animus titubat du-  
 biousque hæret, nescius, quam approbare, quamve reproba-  
 re debeat: quivis fere in tanta rei obscuritate mentis suæ se-  
 quitur visa, quæ vel autoritas aliorum, vel propria medita-  
 tio suggesserunt. Operæ itaque pretium duximus, funda-  
 menta, ex quibus de hoc libro judicium ferri queat æquum, in  
 hac Disputatione proponere, atque ex iisdem verisimillimam  
 sententiam colligere & adstruere. Quo facto, aliorum quoque  
 Eruditorum sententias in medium proferemus, & quæ in iis  
 desiderari possint, exponemus; in primis Masii & Richardi Si-  
 monii Annales examinabimus, visuri, utrum *Liber Recti* illo-  
 rum pars esse potuerit, an minus. Ex quibus tandem nostri  
 miraculi veritas, canonisque sacri integritas constabit cla-  
 rissime.

## §. II.

Ad fundamenta, ex quibus de *Libro Recti* judicium  
 est ferendum, primo referimus nomen, quod Hebræis ספר  
 הישר